Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 2449
Quelle:
Copyright:

ejus Matre, quae erat *Isabella Philippi Pulchri* filia, *Johannes* II. Rex Franciae, et *Innocentius* VI. Pontifex Romanus. *Qui autem fuerint ambasiate*, subdit ἱεροφαντης noster, *georius non expressit nisi illis ad quos missus est.* Hagiographi Belgae, qui de S. Patritii Purgatorio T. II. *Martii ad diem* XVII. fuse tractarunt, post *Öeni* militis in purgatorium admissionem, quam *Matth. Paris* an. MCLIII. adsignat, et *Henricus Monachus Saltereyensis* scripto commendavit, postque Canonicorum Regularium in Insulam ingressum nullo potuerunt indicio deprehendere, cuiquam tale quid, quale *Öeno*, accidisse. Ignotus itaque illis mansit Hungarus noster, in multis *Öeno* geminus. Invenio tamen in *Montfauconii Bibl. Biblioth. Mss.* T. I. p. 16. inter Codd. *Christinae Suecae* in Vaticanam translatos n. 122. *Legendas* quasdam, quas inter *Peregrinatio Georgii Equitis Ungarici et de Purgatorio Germanice scripta.* An vero alterutra lingua typis unquam commissa fuerit, id, quod sub artis initia, rudi illo, et literarum παλιγγενεσιν praecurrente aevo piis ejusmodi fabellis, puta *Visionibus Tondali*, *Brandani* &c. non semel usuvenit, ingenue confiteor me ignorare. Regem illum Hungariae, sub quo meruerit Georgius, *Ludovicum* I. fuisse, qui an. M. CCC. L. regno Neapolitano iterato potitus est, docet historia. Patris vero Georgii nomen, quod in Codice nostro *Cussaphan*, frequentius vero *Crissaphan* scribitur, eo deducere quem posset, ut Virum illum Provinciae in Croatia *Crisiensis Banum* fuisse conjectet.

DCXL.

Codex partim membraneus, 474
partim chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 278. 4. per duas columnas exaratus, et rubricis distinctus, olimque pertinens ad *Locum Beatae Mariae de Paradiso*, coenobium, ut arbitror, Virginum S. *Clarae* ad *Rhenum* situm, complectitur Opus Asceticum, seu, ut in calce adpellatur *Librum de monastica Vita.* Indici praemisso haec minio subduntur: *Hunc librum edidit Reuerendus sacre Theologie lector frater chonradus de czeñ pater conuentus in nurenberga Ordinis fratrum heremitarum Sancti Augustini. Qui omnium proprietariorum verus inimicus semper fuit. Et hoc vita et moribus ac scriptis suis manifestissime ostendit.* Notum fuisse Scriptorem hunc *Ossingero Bibliothecae Augustin.* Conditori inde arguas, quod p. 256. legitur: *Conradus Zenners vide Lit. Z. Zenners Conradus.* At nihil ibi, neque alibi, quod norim, si *Gesneri Bibliothecam* excipiam, quae *Codicis* nostri mentionem facit, corrupto tamen Titulo, et Autoris nomine, qui *Conradus de censis* dicitur. Ego vero eum ab oppido aut pago patrio *Zenn* ditionis *Ansbacensis* adpellatum autumo. Aevum illius ex ultima *Codicis* clausula liquet, ubi *Conradus de czenn adhuc in humanis degens Anno domini* M°. CCCC. LIX. audit. Prologus